


ALBERTI MARCHIONIS BRAN-

denburgici, & Philippi Ducis Brunsvicensis referentes imagines: Cusi ante pugnam ad Visurgim commissam: Anno Christi 1553.



HENRICVS Dux Brunsvicensis, qui certis de causis cū Mauritio Electore Saxoniz, muniendi sui causa, foedus fecisset: contra Albertū Brandenburgicum: Episcopis atq; Norimbergicis auxilia promississet, magnāq; exercitus Mansfeldici partē ad se traduxisset, per Philippum filium vicinis bellum infert: grassatur per Episcopi Monasteriensis, Mindensis, Erici principis agnati sui, & Bremensium fines, ab ijsque vim pecuniæ permagnam extorquet. In Franconiā tandem exercitu translato, Suinfurtum obsidet, quod Albertus valido præsidio firmaverat. Ubi vero Albertum in Saxoniam bellum transtulisse cognovit: periculum domi esse videns, ac Henrici patris ditionem devastari audiens, obsidionem solvit: Saxoniam repetit. Idem faciunt Mauritanii, quibus præerat Hedecus, & propè Northusium Mauritio sese conjungunt. Et quoniam Albertus in agrum Mindensem deflexerat